

1.  
1.

2.

3.

4.

5.





1751.

1. Alsen, Stehardus Andreas: De eo, quid hodie juris est circa poenas secundis nuptiis scriptas.
2. Tyrens, Georgius Henricus; Ord. juridici prodecanus: Danielis Weitsel et Joh. Vanildis von den Steenhoff solemnibus inauguralibus indicit et temperantiam . . . Mutatorii de novis juris prudentialis sententiam . . . de jurisprudentia non nisi ab autentico vitio vitiosa quaedam praefatus.
3. Tyrens <sup>Henricus</sup> Boehmerus, Georgius Ludovicus: De <sup>cautione</sup> gravamine a bonorum immobilium possessore non exigenda.
4. Boehmerus, Georgius Ludovicus: De gravamine communi S. R. I. statum.
5. Boehmerus, Georgius Ludov.: De officio et potestate Rabbini provincialis in terris Brunsvici. Lunenburgici.



1751.

6. Boekmerus, Georgius Ludovicus: De querela inofficio-  
sationis fratrum.
7. 8. Eisenbach, Johannes Fridericus: Dissertatio . . . in ang-  
quâ nobiles imperii immediatos semper exul  
in terris Ducatus Wurtembergici . . . proponitur.  
2 Saempl. 1751 & 1752.
9. Engelbrecht, Georgius Videricus Carolus de & De jure repre-  
sentationis in successione et an eodem in primis  
nepotes indigeant?
10. Engelbrecht, Just. Fridr. Andrig: Kurtze Abhandlung  
von dem Ursprunge der Pringen, womit zugleich seine Son-  
nerlesungen angekündigt.
11. Gebauer, Georgius Christianus: De patria potestate
12. Hedemann, Joannes Christophorus Georgius: De auxilio,



quod aetati impertitur sine de restititione minorum.

13. Heiliger, S. 4.: De campis Poncaliae habitis que  
ibi curiis solemnibus. 2 Exempl. 1747-1752



4637

*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]*





1751,9 X  
9

EXERCITATIO ACADEMICA  
D E  
IVRE REPRÆSENTATIONIS  
IN SVCCESIONE  
E T  
AN EODEM INPRIMIS NEPOTES  
INDIGEANT.

A V T O R E 10/  
GEORGIO DIEDERICO CAROLO  
AB ENGELBRECHTEN.



GOETTINGÆ,  
TYPIS G. L. SCHVLTZII, TYR. ACAD. MDCCCLI.



EXERCITIO ACADEMICUM  
DE  
IURIS PRAESERTATIONIS  
IN  
AN FODEN ILLIUS NEGOTIIS

GEORGIO WILHELMO CAROLO

COMITI





V I R O  
ILLVSTRI ATQVE AMPLISSIMO  
DOMINO  
D O M I N O  
IOH. CHRISTIANO  
BACMEISTERO  
POTENTISSIMI REGIS M. BRITANNIAE  
ET DVCIS ELECTORIS BRVNSV.  
LVNEBURG.  
SVMMI PROVOCATIONVM TRIBVNALIS  
QVOD CELLAS ORNAT  
CONSILIARIO  
FAVTORI ATQVE PATRONO LONGE  
COLENDISSIMO  
AVVNCVLO AD CINERES VSQVE PIA  
MENTE DEVENERANDO

A 2

HOC





HOC QVALECVNQVE STVDIORVM  
SPECIMEN

IN

GRATI ANIMI

PIETATIS ATQVE VENERATIONIS PLENI  
PRO TOT TANTISQVE IN SE COLLATIS  
GRATIAE NVNQVAM OBLIVISCENDAE

MONVMENTIS

TESSERAM

HVMILLIME OFFERT

TANTI ILLVSTRIS NOMINIS

CVLTOR

OBSERVANTISSIMVS

GEORGIVS DIEDERICVS CAROLVS

AB ENGELBRECHTEN.







EXERCITATIO ACADEMICA  
D E  
IVRE REPRÆSENTATIONIS  
IN SVCCESIONE  
E T  
AN EODEM INPRIMIS NEPOTES INDIGEANT.

§. I.

**I**n omnium fere Iureconsultorum ore est, *ius Repraesentationis* in linea Descendente obtinere, eiusque demum beneficio *nepotes*, patre praemortuo, in *ami* hereditatem succedere. Nimis significativi huius vocabuli grammatico inhaerent, illumque cum sensu iuridico miscent. Exsultant inde innumeri DD. dissensus, nasciturque conclusionum incertitudo, cum in principiis rite ponendis Iurisconsultorum scindantur

A 3

dantur



dantur opiniones. Torquent verba legum atque interpretationes anxias producunt distinctionibus subtilioribus. Ex re itaque erit paucis de huius iuris beneficio differere. Vt multis vero obuiam eatur ambagibus adaequatam iuris repræsentationis præmittendam arbitror definitionem, quo rite ex ea deductis conclusionibus eo facilius non solum certam huius iuris constituere notionem, sed etiam casuum quorundam dubiorum iustam formare possimus decisionem.

## §. 2.

Repræsentationis vocabulum in eo significato, quo in *successione* adhiberi solet in iure Romano non occurrit. *Repræsentare* veteribus est, id, quod in diem debetur, ante diem soluere. Sic enim dos repræsentari dicitur. *l. r. §. 2. D. de Dote praeleg.* Sic solutio ante tempus in legato debiti facienda repræsentationis nomine venit, §. 14. *l. de Legatis.* Quando vero legibus cauetur heredem vice defuncti fungi, *l. 22. D. de Vsurpat. & Vsucap.*, vel defuncti vicem sustinere, interpretes heredem *defuncti*



*functi personam repraesentare* dixerunt, eadem voce deinceps ad successionem translata, ubi quis ex alterius, quem veluti repraesentat, iure ad successionem vocatur. Hoc sensu ius repraesentationis est beneficium iuris, quo remotiores, a successione ex iuris rigore exclusi, iure defuncti parentis, ad alterius successionem ab intestato vocantur. Ex mente IUSTINIANI sic definitio ius repraesentationis, qui cum in NOV. IIS. c. 3. fratrum praemortuorum, filios vna cum fratribus defuncti admisit, iisdem se hoc ipso *beneficium* quod & *privilegium* appellat praebuisse profitetur. Totius beneficii rationem in eo collocat, quod iisdem *in iura parentum suorum* succedere, atque ita successionem *ex iure parentum* capeffere permiserit, quam non habebant ceu *gradu remotiores*. Diuersas in formanda iuris repraesentationis definitione DD. opiniones recenset CASTILLO in *Quotidian Con- trou. Forens* L. 3. c. 19. nr. 13. seqq.

§. 3.

Cum ius succedendi antiquum per nouiores Iustiniani Constitutiones in aliam prope re-  
ductum



dactum sit formam; operae pretium haud esse  
 autumo, adire antiquitates, atque in tradenda  
 vetustiori ex legibus XII. Tab. successione  
 iusto diutius immorari. Secundum NOV. 118.  
 primum Descendentes occupant locum, sine  
 habita relatione ad gradum, sed omnes licet  
 sint remotissimi, cum proximioribus vno eo-  
 demque succedunt iure *c. 1. cit. NOV.* Idque  
 ipsum iamiam LL. XII. Tab. cautum fuisse in  
 aprico est. Hisce deficientibus Ascendentes  
 vna cum defuncti fratribus sororibusque germa-  
 nis vocantur *c. 1. cit. NOV.* Neutro existente,  
 Collateralium ordo succedit *c. 3. cit. NOV.* Pro-  
 be in linea Transuersali notanda est regula:  
*Proximior excludit remotiorem.* Idem LL.  
 XII. Tab. sancitum, quarum verba *Agnatus  
 proximus familiam habeto* hoc indigitant.  
 Cf. CAII *Inst. Tit. 16. de legit. succes.*  
 PAVLI *Sentent. L. 7. de test. Success.* Hinc  
 fratrum filii patre eorum praemortuo in con-  
 cursu cum patris a patris defuncti hereditate  
 arcebantur. Verum enim vero cum Iustiniano  
 aequitati valde repugnare videretur, vt fratrum  
 filiis patris hereditas a patris praeriperetur,  
 cum tamen eorum si vixisset parens aequalem de-



defuncti fratris bonorum adeptus fuisset par-  
tem, illamque in eos transtulisset; dedit illis  
beneficium *ex iure parentis* ad successionem  
adspirandi. Quo facto in pari cum patris con-  
stituti gradu, una cum his hereditatem defuncti  
patris adeunt, per verba Nou. 118. 13. *Si  
autem defuncto fratres fuerint & alteri-  
us fratris aut sororis praemortuorum filii,  
vocabuntur ad hereditatem isti cum de pa-  
tre & de matre Tbiis masculis & foemi-  
nis, & quancunque fuerint, tantam ex  
hereditate percipient portionem, quantam  
eorum parens futurus esset accipere si su-  
perstes esset.* Natum exinde est famosum il-  
lud ius quod DD. *repraesentationis* l. *suc-  
cessionis vicariae* nomine insignire placuit.  
Cf. CASTILLO *Quot. Contr. For. L. 3. c.*  
19. nr. 2.

§. 4.

Cum omne iuris Repraesentationis funda-  
mentum in eo sit positum vt remotiores ex  
iure parentum suorum ad successionem vocen-  
tur, & sic proximoribus exaequentur; conse-  
quitur, vt non nisi in eo successionis genere,

B

vbi



vbi graduum praerogatiuae locus est, & remotiorem proximior excludit, vim suam exferere queat. Quae vero cum ita sint, liquet in linea Descendente exulare hocce beneficium vtpote otiosum atque superuacaneum, cessante in illa omni gradus praerogatiua. Sed cum haec fusiore indigeant disquisitione, de his infra agendum erit. Deinde cum & tanquam *beneficium iuris* considerandum sit, quo censu & illud habet Imperator; non minus intelligitur, id aliis non competere, quam quibus illud leges largiuntur. Vnde ex hoc argumento apparet ad Ascendentes hoc beneficium proferri non posse, praesertim quod & contra naturam sit avum repraesentare patrem, CARPZOV P. III. c. 13. D. 19. nr. 2. cum ratio naturalis non adsit, sed parentes tantum in solatium liberorum amissorum eorum bona occupent. Competit ergo tantummodo *fratrum & sororum liberis*, ita quidem vt nemini alias ex ordine Collateralium venienti hoc beneficium tributum, NOV. 118. c. 3. neque ad alios vltiorum graduum Collaterales extendendum sit, qui sine vlllo discrimine a proximoribus existentibus excluduntur. Praemortuoam fratrum  
so-



fororumque liberis videlicet hoc iuris auxilio duntaxat consultum est, vt locum parentum demortuorum occupantes, ita accederent ad patruos vt vel sic pares gradu cum his facti *ex persona patris repraesentatiua* in iura trans-eant paterna NOV. 118. c. 3. eandem hereditatis patris accipientes partem, quam pater si vixisset adeptus fuisset. Apparet inde succedi nonnisi ex *beneficio parentum*, vnde & ius repraesentationis non immerito *successionis vicariae* subit nomen. Cum porro in hoc iure exercendo proximior semper adesse debeat, remotiorem excludere volens, hoc beneficium cessare perspicitur si fratrum fororumque liberi soli inter se concurrant. Quo facto vtuntur proprio iure ac cum omnibus idem sit ius, succedunt in capita, hereditate in tot partes quot adsunt personae distributa.

§. 5.

Varios ius Repraesentationis producit effectus, quo magis ab ordinaria succedendi ratione aberrare constat; inter quos haud praeterianda est *successio in stirpes* ex iure Repraesentationis profiliens. Vti *stirps* est collectio

B 2

plu-



plurium personarum ab eodem descendendum, ita in *stirpes succedere* dicuntur, si plures ab eodem descendentes simul sumti vnam hereditatis portionem accipiunt. Quod vero fratrum sororumque liberi cum patris concurrentes in stirpes succedant eius ratio in eo potissimum quaerenda, quod omnes liberi ex vno fratre vel sorore descendentes, ex *parentis sui iure & persona* hereditatem patris defuncti amplectantur. Hinc maiorem ac pater eorum, si vixisset, accepturus fuisset portionem obtinere nequeunt, tum ex Dispositione NOV. 118. c. 3. expressa *tantam ex hereditate percipient portionem, quantam eorum parens futurus esset percipere, si superstes esset*, tum quia surrogatum sapit naturam sui surrogati. Sustinere vero personam parentis defuncti, in eiusque iura succedere nequeunt, nisi & eius heredes facti sunt, cum hereditatis aditione demum heres vna & eadem persona esse videatur cum defuncto. *l. 62. D. de Reg. Iur. l. 14. f. de Vsufr. l. 22. D. de Vsuacap.* Ex quo consequitur vt, repudiata patris hereditate, *iure proprio* in bona patris succedere nequeant. Non immerito enim hereditas patris pro accessorio bonorum patris



ternorum habenda est, quo magis spes radicata patri fuerit, hereditatem fratris sui pro parte accipiendi, si halitum traxisset. Accedit quod si filii abstinent a patris hereditate renunciassent etiam videntur iuribus ex ea dependentibus ac proinde iuri patris defuncti bona capiendi ad quae iisdem, ceu remotioribus iure proprio successio non competit. Praeterea & is insignis iuris repraesentationis effectus est, quod fratrum praedefunctorum liberi ad eadem onera praestanda teneantur, quae parens si vixisset subire obstrictus fuisset, cum ex eius iure succedant, alias enim heres maiori ac defunctus vteretur iure, ne dicam, ad eum ad quem spectat commodum rei etiam pertinere eius incommodum. Tenentur inde tum ad debita passiva praestanda, cum bona non intelligantur nisi deducto aere alieno, tum ad ea quae pater ex quocunque alio contractu defuncto debuit. Denique & conferre tenentur quae pater fuisset collaturus cum alias in praeiudicium & detrimentum patruorum caderet, & massa bonorum inde deminueretur, refragante licet

CARPZOVIO P. III. C. XL. D. 33. n. 9. &  
 FABRO L. II. T. I. D. 1. nr. 4. & D. 17.  
 B 3 nr.



nr. 28. Conferatur BRUNNEMANN. ad  
 L. 1. D. de Collat. Tandem non minus per-  
 spicitur patre renuntiante hereditati fratris libe-  
 ros eiusdem ex iure repræsentationis ad patrum  
 successionem adspirare non posse.

§. 6.

Contrarias partes fouet ANTONIVS FA-  
 BER in Codice L. II. Tit. III Def. I. asse-  
 rens etiam si pater renunciauerit hereditati fra-  
 tris liberos eius nihilominus iure repræsentationis  
 uti posse, & bonorum patrum una cum  
 ceteris patrum participes fieri. Fundamentum  
 opinionis in eo quaerit quod facta parentis re-  
 nunciantis liberis non praeiudicent. Verum  
 enim vero, licet facta aliena tertio nec noce-  
 ant nec prosint, aliud tamen est si beneficium  
 alicui competit ex qualitate cuiusdam personae  
 repræsentatitiae, cum nemo plus commodi per-  
 cipere possit ac persona ex cuius iure succedit  
 & cuius vices sustinet ipse habuit. Adiuuare  
 deinde sententiam suam contendit proposita iu-  
 sto subtiliori distinctione inter repræsentationem  
 gradus & personae. Putat fratrum filios am-  
 plectendo hoc beneficium repræsentare tantum-  
 modo





modo gradum non vero personam patris. Haec Distinctio quae etiam COCCIO *in Dissert. de Successione nepotum* Sect. I. §. 8. & CARPZOVIO *P. III. C. XI. D. 33. nr. 9.* aridet, licet speciosa, menti tamen Imperatoris Iustiniani, & simplicitati nouae legis e diametro contraria est, quippe gradus & persona hic discerni nequeant, cum gradus ex persona dependeat, & sine relatione ad personam efficaciter concipi non possit. Obstant praeterea huic sententiae verba NOV. 118. c. 3. diserta, *in iura parentum succedere*, quae personam defuncti respiciunt idque efficiunt, vt liberi succedant in omnium parentum obligationes tam actiuas quam passiuas. Tandem addit Imperator, *liberos fratrum tantum accipere partem, quantum pater si vixisset accepisset.* Si vero pater renunciauit bonis fratris sui, tunc ea non accipere potuisset si vixisset, ergo etiam ad filios transferre non potest. Quod vero FABER autemet hereditati nondum delatae non posse renunciari, nimis verbis inhaerendo in errore versatur. Renunciatur enim non hereditati vtpote quae viuo aliquo proprio cogitari nequit, sed iuri & spei radicatae bona alterius in euentum mortis capiendi. §. 7.



§. 7. *Exposita iuris repræsentationis indole eo  
 rectius diiudicari poterit, vtrum nepotes ex fi-  
 lio prædefuncto, cum liberis primi gradus in  
 successione in bona aui concurrentes hoc iuris  
 beneficio indigeant. Vt vero eo facilius in hu-  
 ius rei disquisitione procedamus, haud a re erit  
 alienum paucis in fundamentum successione ne-  
 potum ex liberis prædefunctis inquirere. Iure  
 Romano primo loco filius & filia, iisque mor-  
 tuis nepotes ex his nati ab intestato succedebant:  
 ita vt ex loco filii nepotes, ex horum loco pro-  
 nepotes & deinceps ad intestatorum successio-  
 nem venirent, hique quotquot essent, non ni-  
 si partem patris, velut in se deuolutam, con-  
 sequerentur. IVL. PAVL. recept. sentent. Lib.  
 IV. Tit. VIII. §. 8. 9. Aequum enim vi-  
 sum est, nepotes patris sui loco succedere, &  
 eam partem habere, quam pater eorum si  
 vixisset habiturus esset, cui ait VLPPIANVS  
 Tit. XXVI. §. 2. Ita nepotibus in eam par-  
 tem, quae patris futura fuisset, datum est ius  
 succedendi, eamque ex iure succedendi a patre  
 in eosdem ex ipsa legis dispositione deuoluto  
 seu transmissio capiunt. Videlicet liberi sui  
 iam*



iam iam viuo adhuc patre censentur domini quoddammodo bonorum paternorum, id quod ipsum nomen *filiorum familias* innuit, ad exemplum patris *familias*. Patre demum fati munus implente, filii potius dominium continuare existimantur liberiozem bonorum paternorum administrationem obtinentes, ita quidem vt licet heredes non sint scripti dominorum tamen nomino veniant. Cf. l. II. D. de Liber. & Posth. heredib. instituend. l. 2. §. 2. D. Pro herede. CORN. van BYNCKERSHOECK *Obs. Iur. Rom.* l. II. c. 1. p. 109. Itaque filio ex familia patris sublato, statim nepotes ex eo in locum eius succedunt, & ius sui heredis idem illud, quod pater ante habuit, in familia avi nanciscuntur. Vid. ARNOLD VINNIUS in *Comment. ad Inst. Iust. Lib. II. Tit. 1. §. 6.*

§. 8.

Cum igitur liberorum primi gradus & nepotum ex defunctis liberis, ac pronepotum & deinceps idem fuerit succedendi ius, ratio in promptu est cur iure Romano in successione *Descendentium* nulla omnino attendatur *gradus distantia* & *proximitas*, dummodo nullus genitorum genitos antecedit, sed omnes aequali inter se vtantur iure & remotissimi cum

C

pro-





proximioribus ad hereditatem vocentur. Idque iam olim docuit CAIVS *Inst. Lib. II. Tit. VIII. §. 2. generaliter esse constitutum ut inter suos proximior longiore gradu positos non excludat.* Hoc ipsi naturali rationi, quin & aequi-rati consentaneum esse ex eo apparet, cum qui-libet liberos suos & ex eis prognatos prognatasue aequaliter amasse praesumatur. Perspicue cauet IVSTINIANVS in §. 6. I. de Hered. quae ab Intest. deferuntur: quum filius filiae & ex altero filio nepos neptisue existunt pariter, hoc est pari & aequali successio-nis iure ad hereditatem aui vocantur nec qui gradu proximior est remotiorem excludit eoque nomine disponit in NOV. 118. c. I. in hoc ordine gradum quaeri volumus. Quae cuncta cum ita sint, liberi primi gradus in capita, vltiorum vero in stirpes succedunt. Idque ipsum ex natura delationis siue transmissionis accidit, cum nemo plus iuris in alterum transferre possit ac ipse habet. Hinc pater ius succedendi non nisi in eam hereditatis portionem quae ipsi ab intestato obuennisset in nepotes pronepotesque quotquot eorum sunt transmittit, quam ad se ex ipsa legis dispositione deuolutam, omnes simul sumti, seu tota stirps capiunt. Haec successio in



in stirpes *iure communi*, quo filius & filia & ex altero filio nepotes *pari & aequali iure* succedunt, innitur, longe diuerta ab illa successione in stirpes quae *iure repraesentationis* fit inter fratres fratrumque praedefunctorum liberos, *stricto iure* a patris hereditate *exclusos*, ad eamque beneficio iuris *ex persona* defuncti admissos. Parum accurate ergo sentiunt, qui *omnem successionem in stirpes* iure repraesentationes fieri existimant. Successio in stirpes non nisi *modum succedendi* concernit, qui iure succedendi innitur, vel ex *iure communi* competenti, vel *beneficio legis* contra iuris ciuilis rationes indulto. Atque ex his intelligitur, quare nepotes vel pronepotes etiamsi *soli* supersint non nisi *in stirpes* succedant, partemque hereditatis capiant a filiis in nepotes ab his in pronepotes & deinceps in abnepotes ipso iure deuolutam. §. 1. de success. quae ab Intest. defer. & §. ult. l. eod. Tit. Porro nepotes succedunt auo iure ex legibus competente & proprio, non vero ex beneficio parentum, eoque nomine a patris hereditate abstinentes ad aui haereditatem vna cum patris iure proprio, & ex sua persona vocantur, per l. f. C. Vnde liberi. Eadem ratione conficitur, quod repudiata patris hereditate



dirate facta eius præstare non teneantur, nec collationi acceptorum parentis ex aui bonis obnoxii sint, quod STRYKIVS satis eleganter *in Diff. de S. ab I. c. 2. §. 12.* multis comprobavit argumentis, licet inficias non eam, ingentem in huius quaestionis decisione DD. opinionum esse conflictum.

§. 9.

Ex his quae in §. §. antecedentibus de successione Descendentium differuimus facile apparet, quam incongrue ius repræsentationis successioni Descendentium applicetur. Hoc ex principiis vtriusque successionis inuicem sibi oppositis evidens erit. Descendentium successio oritur ex delatione, siue ex iure transmissionis ipsis legibus innixo (§. 7.) ius repræsentationis vero supponit actum quandam naturae successionis ordinariae contrarium. Qui enim huius iuris beneficio frui cupiunt, finguntur sustinere personam defuncti modo quodam retrogrado, ut sic in pari, cum proximioribus, a quibus alias secundum strictum iuris rigorem excluderentur, constituti gradu, cum his heredes fiant. (§. 3.) Illa itaque successio descendit, haec retrograditur. Illa naturae successionis conueniens, haec aduersa. Illa alia tribuit iura ac haec, quo-



quorum discrimen explicare superfedeo. Cum vero contraria contrariorum sit ratio, consequens est, vt diuersa sit iuris transmissionis & iuris repraesentationis indoles. Accedit insuper quod nepotes ad ius succedendi consequendum non indigeant beneficio repraesentationis, cum *ipsis legibus*, quae primi gradus & vltiorum graduum liberos post eorundem parentum mortem *aequo iure* ad successionem vocant, iisdem iam satis superque sit prospectum, vt praeteream quod pinguis semper deteriori sit anteferendum. Nunc autem, per anteposita, successio ex delatione procul dubio iure repraesentationis est longe conuenientior, & inde huic palmam praeripit, id quod ex solo argumento collationis & praestandorum onerum apparet.

## §. 10.

Adest & aliud fundamentum ex ipsis rerum argumentis depromptum. Ius repraesentationis a IUSTINIANO eum in finem introductum est, vt *remotiores*, qui ob proximiorum existentiam ab hereditate propter gradus distantiam exules fuissent, vna cum his ad successionem defuncti admitterentur. (§. 3.) Quis vero est qui neget in linea Descendente IMPERATOREM gradum quaerere noluisse, & re-





motiores, quorum parentes defuncti sunt æquali, iure frui cum proximioribus (§. 8.) Quo magis itaque ratio iuris repræsentationis qua remotioribus succurrendum est, inter Descendentes cessat, eo certius cessat & ipsum ius.

## §. II.

Ius repræsentationis ab ipso **IVSTINIANO IMPERATORE** *privilegii* nomine in successione Collateralium insignitur, per verba **NOVELL. 118. c. 3.** *Huiusmodi vero privilegium in hoc ordine cognationis solis præbemus fratrum masculorum & foeminarum filiis aut filiabus, ut in suorum parentum iura succedant.* Privilegiis seu beneficiis iuris illi indigent, quibus *ius commune* resistit, non illi, quibus *idem illud*, quod privilegio indulgetur, ex iure communi competit. Vim itaque faciunt menti **IVSTINIANI**, fratrum liberos ab hereditate patrum exclusos, adiuuantis, qui ius repræsentationis inter Descendentes ipso iure iam ad hereditatem sui vocatos, obtinere arbitrantur.

## §. 12.

Ceterum & ipsi naturali rationi aduersaretur si ius repræsentationis in linea Descendente locum caperet. In pronepotum & abnepotum successione enim fingendum esset, mortuum repræ-



repraesentare alterum mortuum huncque alium iterum, antequam in parem cum remotiore gradum ascenderet. Cuius generis fictio cum admodum naturae repugnet, ius repraesentationis ab ordine succedendi Descendentium merito remouendum est. Fictiones enim inducuntur a iure contra *rei veritatem*, sed non contra *naturam* vel possibilitatem. Et recte DONATVS in *Eunucho*: *Falsum est, quo tegitur id quod factum est, vanum quod fieri non potest, fictum, quod non est factum, & fieri potuit.* Non admittitur ergo fictio contra naturam, quae debet conuenire naturae.

## §. 13.

Sunt quidem haud pauci quorum in magno eorum numero, nomina recensere facile super sedeo, qui successionem nepotum iure repraesentationis inniti opinantur. Vrgent verba non modo §. 6. *l. de Her. quae ab Intest. def. quia placuit nepotes neptesque item pronepotes & proneptes in parentis sui locum succedere conueniens esse visum est non in capita sed in stirpes hereditatem diuidi*, sed & verba NOV. *c. l. tantam de hereditate morientis accipientes partem, quanticunque sunt quantam eorum parens si vixisset habuisset.* Verum enim quando nepotes in parentis sui locum

cum



cum succedere dicuntur, id tantum innuitur, iisdem idem succedendi ius, quale fuerat *patris* & in *eandem hereditatis portionem* competere, nulla vero ratione consequitur, ius succedendi nepotum ex *beneficio* & *iure parentis* sui deducendum esse quod *psis* perinde ac *liberis primi gradus* in eandem portionem ex lege tributum. Non incognitum est, singularem in officio successorem antecessoris locum occupare & ex eiusdem loco eandem ac iste salarii quantitatem capessere, quamquam neminem fore arbitrer qui eundem ideo ex istius beneficio & iure repraesentationis in istum locum succedere dixerit. Haec sunt pauca quae de iure Repraesentationis in successione, & eius potissimum ratione in linea Descendente cessante differere placuit. Licet vero pro magis enucleanda hac materia multa adhuc proferri possent, tempore tamen praeclusus & lares Academicos cum domesticis permutaturus vela contraho & huic exercitationi impono finem.

## E R R A T A.

p. 11. lin. 22. praeterianda leg. praetereunda.  
p. 13. lin. 5. videntur leg. videantur.

p. 15. lin. 16. tantum leg. tantum.  
p. 16. lin. 20. cui leg. cui.





ULB Halle  
006 367 151


3




v D n 8











1751,9 4  
9

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
IVRE REPRESENTATIONIS  
IN SVCCESIONE  
ET  
AN EODEM INPRIMIS NEPOTES  
INDIGEANT.

A V T O R E <sup>13/</sup>  
GEORGIO DIEDERICO CAROLO  
AB ENGELBRECHTEN.



GOETTINGAE,  
TYPIS G. L. SCHVLTZII, TYP. ACAD. MDCCCL1.

